AETIANARVM EXERCITATIONVM SPECIMEN

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

AVCTORITATE

A. D. XXVI. MARTII A. CIↃIↃCCXCI.

H. L. Q. C.

AD DISPUTANDUM PROPOSUIT

CAROLVS WEIGEL

LIPSIENSIS

LL. AA. M. M. B.

ASSVMTO SOCIO

LEOPOLDO REINHOLD

LIPS.

MED. BACC.

Lipsiae,

ex Officina Täubeliana.

Quum praeter [1] *Freindium* nemo eruditorum de *Aëtio* accurate diſputaſſet, cepi egomet conſilium hoc, vt, quae ad illius vitam, inſtituta, doctrinam, alia, pertinerent, ea curioſe colligerem, et per hanc exercitationis academicae opportunitatem euulgarem. Ad hoc conſilium perſequendum ſummorum duumuirorum *Photii* et *Boerhauii* auctoritas me impulit, quos de Aëtio honorifice ſenſiſſe reperiſſem. Atque ille quidem in Myriobibl. ſic: ὃς γὰρ τὰς ἰάσεις νόσων ἀπελάσεις ἑλομένοις ἐμφανίζειν δι' ἔργων, τῦτο τὸ βιβλίον ἐπιμελῶς μεταχειρίζεθαι δεῖ, καὶ τὴν σχολὴν εἰς αὐτὸ συντεταγμένην ἔχειν, καὶ ὁ γὲ πεισθεὶς τῇ παραινέσει ἐν αὐτῇ τῇ πεῖρᾳ τὸ κέρδος εὑρήσει.

 Hic

[1] Hiſt. med, p. 21. ſqq. ed. Lugd. Batav. 734. 8. Manca enim ſunt quae habent Fabricius in bibl. *Eloi* in *Dictionnaire* etc. Keſtnerus in bibl. med. Hallerus in bibliothecis et cel. Blumenbach in hiſt. med. Taceo imperfectiora Clerici, Schulzii, Goelikii, Blackii etc.



Hic autem in [2] Meth. Stud. med. ita pronunciat: „Quo-„ties quis uult de morbo quocunque ſcribere, ſemper in „indice prius euoluat *Aëtium:* nullus enim eſt ſcriptor, ex „quo poſſumus diſcere, quid *Hippocrates* et *Galenus* de „morbis cenſuere, quam ex *Aëtio.* Nam vti *Iuſtinianus*, „cum pandectas iuris peritorum colligeret, iuſſit prius „euolui omnes ſcriptores, ſic fecit *Aëtius*, in illo enim „infinitos inuenimus auctores, quos ignoraremus.“ Illud quoque ex his intelligitur, optime noſtris ſtudiis conſuli, ſi, in materiam medicam inquirentes, ex *Aëtii* fonte limpido, prius hauſerimus, quam ad riuulos iſtos barbarorum medii aeui hominum, abeamus.

I. AETII PATRIA.

Manuſcripti [3] codices et [4] *Photius* teſtantur *Amidenum* Aëtium fuiſſe. *Marſilius* quidem [5] *Cagnatus* haud mediocris ponderis momenta affert, quibus et ſi non euincat, certe coniecturam probabilem reddat, *Abydenum* legendum eſſe. Abydum enim arbitratur vrbem ab *Obſicio*, cui praefuiſſe noſtrum deinde patebit, fortaſſe non valde diſtantem. Legi quoque apud *Paullum Diaconum*, ab *Iuſtiniano*

[2] p. 432. ed. Lond. 1728. 8.

[3] Fabric. Bibl. graec. Vol. VIII. p. 319.

[4] Myriobibl. p. 566. Cod. 221.

[5] Variarr. obſervatt. l. IV. c. 17. p. 327. ed. Rom. 1587.

niano Slauinorum copiam ad ſe confugientium, in partibus Obſicii, cum per Abydum transfretaſſet, conſtitutam eſſe. Ipſe vero *Cagnatus* cum adiungat, quemque debere ſuo arbitratu de hoc decernere, cumque nobis quidem videatur, haudquaquam licere, a tanta codicum copia et conſpiratione, ſine grauioribus argumentis diſcedere, in recepta illa ac vulgari opinione, *Amidenum Aëtium* vocandum eſſe, perſiſtimus.

Amida vero fuit oppidum Meſopotamiae, Tigri fluuio vicinum, quod forſitan ab vno auctore noſtro, quem progenuit, nominis famam deriuauit. Iisdem temporibus quibus *Aëtius* vixit, fertur patrium hoc eius oppidum a Perſis, Coſröe ſceptrum gerente, oppugnatum et vaſtatum fuiſſe, teſte [6] Procopio aliisque. Noſtris temporibus oppidum in veteris illius ruinis aedificatum, ſimillimo nomine: *Caraëmid* ſ. *Diarbek*, eius vero circulus, dicitur *Amid.*

Alius circa patriam error, in quem, quin [7] *Tiraquellus* delaberetur, parum abfuit, originem ſine dubio duxit ex corrupto [8] *Paulli Aeginetae* loco. Sic enim auſpicatur librum

[6] I. B. Montanus in praef. ad edit. Aetii. Baſil. apud Froben. 1535. fol.

[7] De nobilitate p. 232.

[8] Lib. IV. c. I. p. 131. ed. Baſil. 1538. fol.

librum operis quartum: Ὀρθῶς οἶμαι τὸν Καππαδόκην Ἀέτιον εἰπεῖν μείζονα τῶν νόσων κ. τ. λ. Cum vero verba eadem, quae iam sequuntur apud [9] *Aretaeum* legantur, facile emendari ille locus posse videatur. Alii denique, iique non pauci, *Antiochenum* nostrum vocant, dum cum aliis permutant eiusdem nominis; de quibus postea sermo erit.

AETII AETAS.

De aetate, qua vixerit *Aëtius*, certum aliquid atque definitum statui nequit, nisi ad ipsius opera mentem transtulerimus. Scripsisse ante [10] *Alexandrum Trallianum* [11], *Theophilum Protospatharium* [12], *Paullum* denique *Aeginetam*, extra omnem fere dubitationis aleam positum esse videtur. Hinc itaque saeculo VI iunior assumi haud potest.

Videamus, an non vetustior sit? Praeter quarti saeculi auctores, velut *Didymum Geoponicum*, *Xenophilum*, *Antyllum*

[9] De cur. morb. diut. lib. I. c. 2. pag. 116. ed. Boerhav. 1731. fol.

[10] Citat. Aetium p. 779. ed. Basil. 1556. 8.

[11] Hic enim manifesto Heraclio imperante vixit, cum Stephani Atheniensis fuerit praeceptor.

[12] Licet expresse nullibi nostrum laudet et tamen fateatur, se Oribasio usum fuisse, patet tamen maxime ex tractatu de oculorum morbis, quantopere Paulus saepe nostrum transscripserit.

Antyllum chirurgum, *Iamblichum* (alium quidem ac biographum Pythagorae), *Philagrium Epirotam* et *Possidonium*, laudat quoque innumeris locis *Oribasium Sard.* Iuliani imp. medicum et amicum, *Marcellum Empiricum* Theodosii M. archiatrum, *Theodorum Priscianum* s. *Octavianum Horatianum* coaeuum fere prioris, et, quod praecipue notatu dignum videtur, *Adamantium Sophistam* ab illo merito dictum, coaeuum Honorii Imp. quique in suis physiognomicis [13] *Polemonem* transscripserat: praeterea *Cyrillum* Alexandriae Patriarcham, qui versus annum CCCCXLIV demum mortuus esse perhibetur. — *Petrum*, Theodorici Gothorum regis archiatrum, defuncti IↃXXVI. — [14] *Maioranum* qui Rauennae imperio potitus circa annum CCCCLVIII fertur, cuiusque *Siceum* emplastrum contra podagricos dolores commendat. — *Vcbolinum* quendam, cuius medicamentum ad tussim habet; *Ioannem* iuniorem, qui et apud Cassiodorum occurrit; *Timotheum*, medicum Iustini Imp. Iustiniani antecessoris; *Iacobum* denique *Psychristum* Alexandrinum, Leonis Imp. Archiatrum. — Inter hos quidem *Timotheus* et *Petrus* archiatri

[13] Quod in quibusdam MSS. ipse ingenue fatetur b. Franz praef. ad Physiogn. vet. Altenb. 1780. 8.

[14] De hoc exstat locus apud Reinesium varr. lectt. Lib. III. c. 2. p. 344. — Idem videtur hic Maioranus cum Marliano, Martiano, Mariano, qui toties occurrunt.

archiatri Theodorici, ceteris iuniores videntur. Ille enim tertio decennio saeculi sexti, hic autem vel ad quartum vsque eiusdem saeculi decennium vixerit, si verum est, quod *Procopius* de eodem narrat, Iustinianum nempe *Petrum* ad Cosroëm misisse legatum.

Si itaque medium tempus inter aetatem *Alexandri Tralliani*, qui floruit decennio sexto et Petri istius, qui quarto demum decennio legatus ad Cosroën mittebatur, *Aëtio* nostro tribuendum est, scripsisse illum patet inter IↃXL et IↃL tempore Iustiniani: coaeuus praeter *Alexandrum Tr. Vranio, Stobaeo, Procopio, Agathia, Simplicio, Triboniano, Cassiodoro*, etc.

Non defuerunt quidem, qui antiquiorem nostrum facere studerent, sola inducti synonymi, quae nostrum inter et haeresiarcham quendam obtinet. De hoc postea sermo erit; hic modo animaduertam, tantum abesse, vt probabilitatis aliquid haec opinio habeat, vt potius maxime inuito auctori nostro remotiorem antiquitatem tribuat: id quod e multis operum eius locis patet. In optimis quoque et plurimis [15] codicibus legitur titulus *Comes Obsequii* (Κόμης Ὀψικίυ) qui secundum [16] Fabricii auctoritatem, vix ante

[15] Sic et tres illi Codd. Bibl. reg. Par. habent, quorum lectt. varr. exempla possidet C. G. Ernesti Philos. Prof. celeberr.

[16] Bibl. graec. Vol. VIII. p. 319.

ante Iuſtiniani tempora, aut, vt cum [17] *I. B. Montano* loquar, vix ante barbarorum illuuiem apud idoneos auctores reperitur. Neque video, vndenam gentium hoc munus antiquius eſſe poſſit, imperio diuiſo in orientem et occidentem, neque legitur apud vllum auctorem ante *Epiphanium* et *Gregorium Nazianzenum*, qui Conſtantino M. ſeneſcente ſcripſerunt.

Cornarius delabitur itaque in grauem errorem, qui non ſolum aetate ſupparem Oribaſio reddere ſatagit *Aetium*, ſed manifeſte quoque confundit cum haereſiarcha illo. — Neque tamen ab hallucinatione immunis eſt *I. B. Montanus*, qui licet contrariam tueatur ſententiam, perperam tamen Paullo Aeginetae coaeuum reddere noſtrum ſtudet, cum neutrum alterius meminiſſe contendat.

VITAE GENVS.

Medicinam ſe exercuiſſe pluribus ipſe locis aperte fatetur: quare a grege eorum, qui *Celſi* auctoritate ducti, medicam artem ex veteribus tantum collegerunt, nonniſi ſubinde iudicio ſuo interpoſito, plane ſecernendus eſt *Aëtius*. — Artis Salutaris praecepta hauſiſſe ſe ipſe narrat ex ea, quae Alexandriae floruit, ſchola, quae tunc temporis ad diram tyrannidem Arabum vſque mirum in modum celebrabatur. Alexandriae ſe praeparaſſe [18] *oleum nardinum* aliaque multa remedia perhibet. — Niſi haec ipſe

[17] Praef. ad Aetii ed. Baſil. 1535. fol.

[18] Tetrab. I. ſerm. 1. p. 107. ed. laud.

ipſe faſſus fuiſſet, multis tamen argumentis, in Aegypto eum vixiſſe, liceret comprobare. Lepram enim, cuius veluti patria Aegyptus eſt, egregie deſcribit, eoque modo, vt, αὐτόπτην fuiſſe teſtem horrendi iſtius morbi, credibile ſit. Praeterea occurrunt innumera Aegyptiorum pharmaca pretioſa, velut *Danai Nicoſtrati*, quae ſuo tempore enormibus pretiis Conſtantinopoli vendebantur. Superſtitio quoque et carminum delectus, qui apud noſtrum extat, teſtantur, eum in Aegyptiorum ſcholis didiciſſe has artes: quae quidem gens primam dedit originem, coniuncta Pythagoraeorum cum Perſarum religione, doctrinae, quae [19] *Neo-platonicae* nomen mox adepta eſt: quemadmodum eidem magia, alchemia, theoſophia ceteraeque filiae ſyſtematis Neoplatonici debentur. Deinde *Dracunculum* ſiue *venam Medinenſem*, quae tantum in Aegypto et Arabia graſſatur, vberius deſcribit. — Nympharum muliebrium circumciſionem habet in Aegypto maxime vulgarem; menſes denique Aegyptiorum more et nomine inſignit: *Thot*, *Phaophi*, *Athyr* etc.

Chriſtianum fuiſſe *Aetium*, ex ipſa aetate concluderes; ſed aperta comparent in ipſo opere indicia religionis Chriſtianae.

[19] Cf. qui fuſius de ea egere Bruckerus in hiſt. crit. Philoſ. T. II. p. 189. ſq. G. E. Hebenſtreit diſſ. de Jamblichi, Phil. Syri doctrina etc. Lipſ. 1764. 4. *Hiſtoire critique de l'eclectiſme, ou des noveaux Platoniciens* 1766. *Meiners Beitr. zur Geſch. der Denkart der erſten Jahrhunderte nach Chriſti Geb. in einigen Betrachtungen über die Neu-Platoniſche Philoſophie, Leipz.* 1782. 8. et Car. A. Keil (praeceptoris ſumme colendi) progr. Lipſ. 785. 4.

ſtianae, licet ſuperſtitione foeda contaminatae. Quod praeprimis patet ex Tetrab. II. Serm. IV. C. 50, vbi formulam exhibet, qua, ſi quis incautior ſpinam deglutiuerit, vtatur ad illam extrahendam: *ὡς Ἰησοῦς Χριστὸς Λάζαρον ἀπὸ τάφου ἀνήγαγε, καὶ Ἰωνᾶν ἐκ τοῦ κήτους· λέγε, κατέχων τὸν λάρυγγα τοῦ πάσχοντος· Βλάσιος ὁ μάρτυς ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ λέγει, ἀνάβηθι ὀστοῦν ἢ κατάβηθι.* — Ibidem occurrunt verba: *τοῦτο τὸ φάρμακον μέγα ἐστὶ Κυρίου ἡμῶν μυστήριον.* Abſurda enim illa lues, ſummam indicans barbariem ingenii, quae vt in aliis, ita in corporis malis auxilium Dei immediatum efflagitat, iam a quarto inde ſaeculo mira ceperat incrementa, donec vniuerſa ars medica ad farraginem abſurdorum antidotorum, carminum religioſorum et imprecationum detruſa, clericis ſolis committeretur.

Ad fidem codicum Mſs. et *Photii*, honore noſter functus eſt in Aula Conſtantinopolitana, qui *Comitis Opſequii* (Κώμης Ὀψικίου) dicitur. Neque mirum eo aeuo medicos titulis plane alienis gloriatos fuiſſe, cum et noſtris temporibus ſatis frequenter fiat. Habemus ex iſtis ſaeculis *Theophilum Protoſpatharium* h. e. cohorti praetorianae praefectum, dictum, habemus *Simeonem Sethum*, Michaelis Ducae veſtiarium; habemus *Joannem Zachariae* filium *Actuarium* dictum, legatum Andronici Palaeologi ad Ruſſos Hyperboraeos, vt innumeros eius aeui epiſcopos et Patriarchas medicos ſilentio tranſeam.

 Quale

[20] Tetrab. I. ſerm. 2. p. 85.

Quale autem proprie fuerit munus *Comitis Obſequii* apud Byzantinos, aperte docet [21] *du Cangius.* Tradit nimirum ex veteribus auctoribus *obſequium* curialem fuiſſe pompam, cohortem, quae Imperatorem vbique circumſteterit: *Comites* autem generatim aulae imperatoriae et palatii proceres. Apud *Epiphanium* et *Gregorium Nazianzenum* primum occurrit haecce dignitas, tanquam cohorti praetorianae [22] praefecti. An noſter, quod [23] *Labbaeus* contendit, cum exercitu ſit miſſus ad Gothorum regem debellandum, id vero ſtabilibus plane nullis nititur hiſtoriae argumentis.

Deinde vero adſunt alia, minorem fidem merentia, quae de vitae genere traduntur. Ipſe quidem ſe praeceptorem habuiſſe refert Lucium, eo quidem loco, quo emplaſtrum eius [24] mollitorium commemorat: nexus vero omnium, quae in hoc capite occurrunt, manifeſte docet, non *Aëtii*, ſed veterem illum, Aſclepiadis Bithynii praeceptorem eſſe intelligendum, cum per totum caput Aſclepiadis

[21] Gloſſar. med. et inf. latinitat. T. II. P. II. p. 707. T. I. p. 432. 437, ed. Baſil. 1762. fol.

[22] Vide Vinkii amoenitat. medicas — Notitiam generalem utriusque imperii dignitatum cum Pancirolli comment. Genev. 1623. —, Conſtantini Porphyrogenetae de thematibus libr. Acta Sanctor. Junii T. I. p. 760. *Montfauc.* Diar. ital. p. 78.

[23] Biblioth. manuſcript. Tom. II. pag. 597. ed *Fouquet* Pariſ. 1657. fol.

[24] Tetrab. VI. Serm. III. c. 14. p. 490. ed. cit.

piadis medicamina enumeret. Tale quid iam ſuſpicatus eſt [25] *Hallerus*: qui tamen [26] alio loco *Sopolin* vocat noſtri magiſtrum; nouo quidem errore. Ex ſequentibus autem conſtabit, minime Amideni, ſed alterius Antiocheni, haereſiarchae praeceptorem fuiſſe *Sopolin*. Neque audiendus [27] *Merklinus*, qui diſcipulum noſtrum facit Eunomii cuiusdam, iterum ſeductus a ſynonymia haereſiarchae.

Suſpecta quoque ſunt, quae apud ipſum [28] auctorem exſtant, quod nempe gagatem lapidem ex Coeleſyria propter Hierichuntem apportaverit, vbi quoque bitumen Sodomaeum proueniat: ſuſpecta ſunt, inquam, cum conſtet *Galenum* ibidem iam gagatem inueniſſe. Plura omnino teſtimonia occurrunt, quibus euincitur, noſtrum *Galeni* verba ſaepe ſua facere.

SYNONYMI.

Cum praeter ea, quae iam ad vitae genus auctoris noſtri retuli, nihil fere de eodem exſtet, proprie huc pertinet, vt ab aliis eiusdem nominis diſcernere ipſum doceamus.

[25] Biblioth. botan. T. I. p. 159.

[26] Bibl. med. pract. T. I. p, 294.

[27] Linden. renou. p. 17. — Hic liber, qui ad chronologiam et biographiam auctorum pertinet, tot tantisque ſcatet grauiſſimis erroribus, ut comparari fere cum nullo alio poſſit. — Aëtium facit Paullo Aeg. iuniorem, et tamen Conſtantino M. coaeuum!

[28] Tetrab. 1. ſerm II. c. 14. p. 367.

mus. Singulare enim illi contigit hoc fatum, vt fere semper cum aliis cognominibus confunderetur.

Qui quidem saepissime ipsi substituitur, est *Aetius Antiochenus* dictus. Aurifaber hic primo in patria vrbe, deinde *Sopolidis* medici famulus, ipsi arti medicae initiatus. Posthaec *Arii* haeresin amplexus cum *Eunomio* discipulo, *Eunomiorum* sectae nomen dedit. Haec refert ex *Suida*, *Nicephoro* et *Philostorgio* [29], *Fabricius*. Mortem Antiocheni ad annum CCCLXVII referendum docet *Eunapius* in vita *Aëtii* Antiocheni: ex qua *Raphael Volaterranus* vberiora excerpta dedit, vtrumque tamen auctorem et ipse commutauit. — [30] Exstant quoque apud, [31] *Montfauconium* pauca ἀνέκδοτα huius viri: Sic in bibliotheca Vaticana: *Aetii epistolae, qui Eunomii doctor fuerat;* in bibliotheca Scorialensi: *Orthodoxi contra Eunomium dialogus, cuius initium ab impii Aëtii epistola ducitur.*

Alium *Aetium* ab his plane diversum habent [32] *Theodoretus*, qui illum scripsisse ait συναγωγὴν τῶν ἀρεσκόντων τοῖς Φιλοσόφοις. Refert idem *Theodoretus* plura ex *Aëtio*, vt ex *Plutarcho* et *Porphyrio*, qui de iisdem argumentis scripserunt. Ethnicum fuisse testatur. *Aetium* Ephorum Palaestinae habet *Philostorgius*. *Aëtium* Praefectum urbi Con-

[29] L. citato.

[30] Comment. vrban. L. XXXVIII. 1703 fol. p. 452. Reprehenditur a I.B. Montano in praef. ad Aetii editionem.

[31] Biblioth. Manuscriptorum nou. T. 1. p. 12. 619. ed. Par. 1739. fol.

[32] Hist. ecclesiast. L. 1. c. 5.

Constantinopolitanae, percussum a. CCCCXIX: alium ὑποςρατηγὸν sub Valentiniano, comitem et quater consulem: alium denique archidiaconum Parisiensem, habet [33] *Fabricius*. [34] *Hendreichius* denique memorat *Aëtium* Sicanium, ad quem pars fragmenti περὶ μελαγχολίας quod vulgo Galeno tributum, in [35] Basileensi collectione exstat, a *Fabricio* refertur.

AETII DOGMATA.

Quodsi *Aetius* non nisi * compilator eorum fuisset, quae ante ipsum scripta erant, eo negotio non mediocriter de arte sua meritus perhibendus esset. Namque eum, qui fata medicinae omnis aeui contemplatur, aeque oporteret suspicere tale opus, ubi deperdita priorum saeculorum, vel ad partem tantum seruata leguntur, ac medicum quemque, qui quid recentiores de hoc vel illo morbo aut remedio sciuerint et adhibuerint, indagavit. Huc accedit *Aëtium* illos quoque auctores, qui adhuc supersunt, in compendium redegisse, ut facilius sit, nostrum, attico quippe stylo vsum, adire, quam ad Asiaticam illam, pomposamque vt ita loquar, dictionem nonnullorum antecessorum, praesertim Galeni confugere.

Galeno prae ceteris vsum fuisse, quaeuis fere pagina docet. Plerumque non absque iudicio illum exscripsit: imo clara nostri dictio et distincta valere plus videtur, quam *Galeni*

[33] l. c. p. 330. [34] Pandect. Brandeburg. apud Fabric. l. c.
[35] Tom. IV. p. 496.
* Id methodicis solemne fuisse recte obseruat cel. Ackermann in l. infra laudando.

Galeni fusus sermo. Non tamen negandum, saepius nostrum sui dissimilem videri; modo enim verbotenus repetit loca *Galeni*, modo lectori illudit, simulando sua esse, quae ex *Galeno* sumserat. Huc pertinet [36] ozaenae sanandae ratio: notitia bituminis [37] Sodomaei [38]: stercoris canini laus a praeceptore suo accepta, aliaque *Galeni* inuenta, quae tanquam sua praedicat. Haec forte fuit ratio cur *Galeni* simia a quibusdam salutaretur. — Nonnunquam tamen sua a Galenicis seiungit, ibique *Galenum* honoris caussa nominat, velut in recensione experimentorum, quae circa [39] thymum instituerat. Nec fieri poterat, quin multis in rebus recederet a [40] *Galeno*, cum methodicae sectae addictus potius fuerit, quam Galenicae; de quo postea dicetur.

Praeter varia minora fragmenta, vel coaeuorum, vel antecessorum suorum, reliquit nobis ex *Demosthenis Massiliotae* libris de oculorum morbis varia excerpta, quae satis memoratu digna videntur: praeterea multa habet ex *Leonide*, *Marcello Sidite*, Hadriani coaeuo, *Apostophane Stoico*, Seleuci et Antiochi contemporaneo, quae alioquin penitus fuissent deperdita.

Ipse

[36] Tetrab. II. serm. 2. c. 92.

[37] Tetrab. II. Serm. 2. cap. 49. p. 382.

[38] Tetrab. I. Serm. 2. cap. 11. p. 428.

[39] Tetrab. I. Serm. 1. p. 134.

[40] De dissensu Aetii et Galeni, circa phlebotomiam legere exstat: Garciae Lopii lib. de varia med. lectione (cap. 17. p. 55.) Antwerp. 1564. 8.

Ipſe autem, ad quamnam ſectam ſe pertinere confeſſus fuerit, ſi rite indagaueris; ex aſſidua ipſius lectione clare elucebit. Nimirum *Methodicus* fuit, ita tamen, ut multum ſuae doctrinae admiſceret Philoſophiae, vel potius Pſeudophiloſophiae [41] Neoplatonicae. Floruit enim id genus ſectarum per totum ſaeculum quintum praeſertim Alexandriae: grata erat Methodicorum doctrina hominibus eius aeui, quippe quae neque philoſophiae intimiorem cognitionem, neque anatomicam, neque amplam experientiam requireret. Contenti ſuis *communitatibus*, ad quas omnia referre conabantur, nil aliud moliebantur, quam ut indicationes ſuas, neque ad dogmaticorum obſcuras cauſſas, neque ad locorum affectorum conditionem, neque ad theoriam quamcunque, ſed ſolummodo ad communitatum dichotomiam conformarent. Sicut enim illud *Bagliuii* immortalis dictum: „*in medicina multa ſcire oportet*, *et pauca agere*, cum *Hippocratis* aphoriſmo egregie congruit, quo inde ab omni aeuo quiuis rationalis medicus confiſus eſt; ita adhaeſerunt methodici, praeſertim ſeriores, contrariis penitus ſententiis, atque decretis: *pauca ſcilicet ſcire oportere*, *et artem breuem eſſe*, *vitam longam*.

Ea theoria medica generali quidem erui nequit, fueritne *Aëtius* methodicus, an minus. Sufficere debent theoriae particulares et methodus medendi. Theoriam actionis

41 Aſtrologum fuiſſe nimis credulum noſtrum, patet ex Tetrab. I. Serm. 3. cap. 163. quod *περὶ ἐπισιμασίας ἀστέρων* inſcriptum a Dion. Petauio ſuo operi eſt inſertum.

nis medicaminum in ſola vere adſtrictione, praeter humiditatem, ſiccitatem, calorem et frigus, exſtruxit; a guſtu autem et odore communitatem diiudicat. Peramplus eſt in his qualitatibus ſic dictis primariis, earumque gradibus definiendis, et cum temperamento corporis [42] comparandis. — Venae ſectionem ſtricturae opponit tanquam relaxans: contrarios eſſe eidem morbos a laxitate et conſtitutione corporis [43] laxa. — Si autem praeſertim conſilia eius ad podagram curandam rite [44] conſideraueris, manifeſte patebit, non ſolum auſterum diaetae genus, per plures dies commendaſſe, ſed et [45] *circulum* verum *metaſyncriticum* ſiue reſumtiuum methodicorum in ſcenam duxiſſe. Cum enim in *συγκρίμασι* elementorum et qualitatum corporis antiqui methodici ponerent totam conſtitutionem et ſanitatem, poſt applicata remedia ſueta conabantur *σύγκριμα* ipſum immediate reſtituere, vel *drimyphagia*, ſiue acrium eſu, quae valide alterare corporis conſtitutionem ſolent, vel reiteratione diaetae auſterae iam prius adhibitae.

Quod attinet ad ſpecialem partium artis noſtrae ſingularem cognitionem, iniurius eſt in *Aëtium* [46] *A. O, Goelikius*, inutilis hiſtoriae medicae ſcriptor, qui expertem eum penitus *anatomia* et *phyſiologia* fuiſſe dixit. E ſupra quidem poſitis patebit, ipſum ex more methodicorum, neuquaquam neglexiſſe corporis humani cognitionem; neque

[42] Tetrab. I. Serm. 1.

[43] Tetrab. II. ferm. 1. c. 71.

[44] Tetrab. III. Serm. 4. c 46.

[45] de hisce Methodicorum circulis cf. cl. *Ackermann in Beiträgen zur Geſch. der Empyriker in Wittwers Archiv.* T. 1. *S.* 2.

[46] Hiſt. med. pag. 103. ed. Frcf. 1738. 8.

que tamen deeſt in ipſius ſcriptis, ex quo aliquid in hiſtoria anatomes profici queat. Sic *antiades*, glandulas ſubmaxillares, merito diſcriminat a parotidibus, ſingularum affectus ſigillatim [47] recenſens. — Vterum muliebrem vberius deſcribit pro ſaeculi iſtius cognitione: cotyledones habet in muliere multo minores quam in beſtiis, quas vt perueſtigemus, zootomiam ſedulo inſtituendam [48] ſuadet. — Ceterum phyſiologia eius fere tota ea eſt, quam *Galenus* eiusque ſchola docuerat, paucis modo additis. — Ipſi vero debetur *ſemiotice phyſiologica*, quam [49] exhibet ſingulari plane inſtituto, quo nemo, quantum memini, ante eum vſus eſt. Singula viſcera perſequitur, velut cerebrum, cor, pulmones, ventriculum, inteſtina, hepar etc. et cuiusuis ad theoriam *Galeni* et methodiorum temperiei frigidae calidae, humidae, ſiccae, ſtrictae et laxae notas et ſigna ſuppeditat. Optandum ſane eſſet, vt ſimili ratione recentiores, tot cognitionibus locupletati, quibus carebat *Aëtius*, ſemioticen phyſiologicam colerent. Mihi quidem videtur, ſi nihil aliud, hiſtoriam certe medicam inſignia incrementa ex hac *Aëtii* diſputatione haurire poſſe.

Pathologia Aëtii fere omnis ex Galeno deſumta eſt, niſi quod ad methodicos non parum vergit; praeterea varias habet nouos morbos, quos quidem Pergamenus nondum [50] cognouit. — Febrem quidem definit ita, vt ſit calor

[47] Tetrab. I, ſerm. 2. c. 89. p. 352. Serm. 4. c. 42. p. 731.

[48] Tetrab. IV. Serm. 4. c. 1.

[49] Tetrab. I. Serm. 4.

[50] Hinc *Conciliatorem* eum iure appellauit I. C. Scaliger in Ariſt. de animalib. pag. 37. ed. Toloſ. 1619. fol.

lor praeter naturam cordis et arteriarum, vitalem firmitatem laedens, ex profundo emergens et acris ac mordax ad tactum [51] allabens. Febrium diuisionem et theoriam fere eandem, quam Galeni deprehenderis: sic quoque ceteri morbi tractantur. — Peculiare autem est *Aëtio*, quod Galenus quidem iam molitus erat, sed nondum perfecerat, discrimen febrium intermittentium, in ipso paroxysmi initio faciendum, cum diceret, differee rigorem tertianae a quartanae febris rigore in eo, quod in tertianis pungi ac vulnerari corpus videretur. Nam in quartanis inuasionem perfrigerio vehementi esse praeditam et magis in profundum saeuire. In quotidiana vero neque rigorem omnino procedere, sed magis aegros circumfrigefieri [52] — Non negligenda sunt, quae de resolutione partium exposuit, quo in capite et discrimen inter syderationem et resolutionem ponit. — Elephantiasin egregie descripsit, melius [53] Galeno, licet *Henslerus* monstrauerit, ex *Archigene* plurima nostrum mutua accepisse, quae de hoc malo protulit. Singula horrendi huius mali phaenomena, singulasque varietates melius [54] exhibuit, quam qui ante eum id malum depinxerunt. — Oculorum morbos vberrime tractauit, et, Cnidionum more, magna, immo taediosa fere subtilitate; triginta enim numerat species, et in quauis specie multiplicem suadet methodum. [55] Tabem pupillae habet, siue eam praeternaturalem angustiam, quam ademta

[51] Tetrab. I. Serm. 1. c. 7.

[52] Tetrab. II. Serm. 1. c. 79. Tetrab. II. Serm. 2. c. 27. 28. Insignia sunt quae hac in sermone de neruorum affectionibus habet.

[53] *Hensler vom Aussatze im Mittelalter S.* 203. 207.

[54] Tetrab. IV. Serm. 1. cap. 130.

[55] Tetrab. II Serm. 3.

ademta penitus irritabilitate, et debilitate, summa tunicae vueae pendere [56] pronunciauerit. Lippitudinis multas enumerat species, quas bene quidem distinguit, quarumque signa egregie [57] indicat. — De morsu [58] venenato tam ample fuseque exposuit vt similem tractatum in tota antiquitate fere nullum reperire liceat. His quamuis super stitiosa et incredibilia multa immiscuerit, bonam tamen esse collectionem, nemo certe negabit.

Famosum quoque illum morbum, *Lycanthropiam* ita [59] tractauit, vt, qualis proprie fuerit, inde satis aperte eluceat. Primo quidem titulus ipse *ex Marcello*, monstrat *Marcellum* illum *Siditen*, qui Hadriano Imp. libris XLII. carmen heroicum de morbis composuerat, esse verum hujus capitis auctorem. Hinc quoque poeticae multa esse sumenda. Deinde vero descriptio ipsa docet, nil praeter insaniam vulgarem hic adesse. Februario quidem praecipue haec insania repetere insultus solebat, quo mense coelum pluuium ac nebulosum iisdem fauet. Quod vero *Aëtius* de aperiundis per insanos sepulcris loquitur, id ad locum corruptum reduci posse, egregie iam monstrauit [60] *Freindius* sic ut quoque *Lycaonii* morbi appellatio apud Paullum Aeginetam, [61] nil aliud est, quam contractio Λυκάνθρωπος in Λυκάανος. — Dracunculum s. *Gordium Medinensem* primus post [62] *Leonidem*, eoque modo descripsit, vt non nisi pauca addere possimus. Vtramque habet speciem quam *Abul*

[56] Tetrab. II. Serm. 3. c. 53.
[57] c. 74—77.
[58] Tetrab. IV. Serm. 1.
[59] Tetrab. II. Serm. 2. c. 11.
[60] *Histoire de la med.* T. I. p. 85. 10. ed. Leid. 1727. 4.
[61] Lib. III. c. 16. Cf. Reinesii var. lect. I. 1. c. 16. p. 62.
[62] Tetrab. IV. Serm. 2 c.

Abul Casem [63] descripsit. — Calculus vteri quoque occurrit apud Aëtium [64], qui a nuperis anatomiae pathologicae scriptoribus multo diligentius descriptus [65] legitur.

Praxis ipsa *Aëtii* theoriis quidem haud digna superstructa videtur, quas protulisse ipsum antea diximus: Methodicorum, deinde vetularum et circumforaneorum ratio. Remedia sua fere nunquam transfert ad specialem morbi disquisitionem. Saeculi sui genium sequitur: hoc vnum tum temporis in institutis omnium medicorum erat, vt farraginem medicaminum vndequaque contra omne morbi genus corraderent, quibus ad illudendum vulgus vti possent. — Hoc aeuum fuit *arcanorum*, quorum ingentem quidem numerum congessit noster, et variis, iisque non raro curiosis nominibus insigniuit. Sic *Chezananze* epithema purgatorio scopo; *Isotheon Nicostrati* contra colicam, quod binis talentis vendebatur; *phoenix niger*, *phosphorus* etc. quibus praeter nomina, fere nil speciosi inesse videbatur. — Deinde vero lapidum et terrarum infinitam farraginem habet, omnibus fere, quotquot lateant, malis medentium: tunc enim temporis theoria emanationum ex Cabbalistica et Persarum Philosophia translata, ad physicam ipsam adhibita vsurpabatur, vt efflunia visum effugientia inde declararentur. Smaragdum inter innumeros alios lapides noster, ad grana aliquot, contra haemorrhagias commendat: Iaspidem subuiridem contra hydropem et inflammationem: vitrum [66] ipsum contra calculos

63 Chirurg. lib. II. Sect. 91, c. 98. p. 438. ed. Chauning. Oxon. 1778. 4.

64 Tetrab. IV. Serm. 4.

65 Lictaud. hist. anat. I. 75. etc.

66 Tetrab. I. Serm. 2.

los. — Martem ceterum, quem primus *Alexander Trallianus* intrinſecus adhibendum ſuaſit, noſter tantum extrinſecus abhibet. — Praeterea multus eſt in pharmacis, praeſertim externis componendis et praeparandis, quorum mixtio et praeparatio noſtrorum hominum potius riſum et contemtum excitauerit, quam attentionem. Varia tamen his quoque admiſcet ſimpliciſſima, quale eſt *Nechepſi* regis celebre illud, quod foliis cypreſſi uino tantum infuſis conſtat. — Inſunt ipſis medicamentis noxia multa, quorum praeter vitrum modo nominatum, vnum tantum *auripigmentum* hic memorare placet, quod contru phythiſin variosque pectoris morbos [67]; et in paſtillis aduerſus dyſenteriam commendat.

De actione ſalubri ſuorum remediorum at arcanorum nullus dubitat, licet explicari nequeat eorum actio. Eius aeui mos erat, *phyſica* appellare ea omnia medicamenta, quae ἀναιτωλόγητα h. e. manifeſta explicatione indigentia, ſimul vero maxime ſalubria eſſent. Sic *Aëtiis* pice [68] liquida extremum pollicem inficit, altera mann ſyncipitis capillos diſtendit, picem illinit: quo facto vuula lapſa ſtatim in integrum reſtituatur. Sic dum praeparationem medicaminum docet, addit, hoc fieri debere nomine Dei Abrahami, Iſaaci et Iacobi. — De his vide *Reineſii* notas in Plinium Valerianum varr. lect. lib. III. c. 4. v. 393.

Tranſeo denique ad *Aëtii Chirurgiam*. Is quidem chirurgus non fuit noſter, qualis ſucceſſor *Paullus Aegineta*. Nihilominus multa tamen habet memoratu digna, tum theoriam tum operationes chirurgicas ſpectantia. Cum totus fere eſſet in medicamentis praeſertim externis, quibus

67 Tetrab. III. Serm. 1.

bus vel pertinacissima mala debellare audebat, obseruatio chirurgica haud magnos profectus ex ipso recipere potuit. — Inflammationem definitam, aut per singulas suas periodos descriptam incassum quaesieris. Auctor cognoscere non videtur aeternas naturae leges, quas resolutione, suppuratione, gangraena, tanquam sequelis inflammationis manifestat. Nam miram ex spuma argenti, anmmoniaco thymiamatis, oleo pinus, castoreo, galbano etc. corradit miscelam, per quam praedicat posse et abscessus in pus iam degeneratos [68] discuti. Vocat et emplastrum *Helladicum* ampleque circa hoc obiectum refutatur a [69] *Freindio.* Alio tamen loco noster fuse signa exhibet instantis resolutionis et suppurationis, regulasque suadet, quibus pro diuerso statu tumores inflammatorii tractari debeant. Eo quidem modo empyrica methodus cum dogmaticis regulis nunquam iungitur. In applicatione emplastri *Persici* ne pars oleo inungatur cautionem subiicit. Oleo enim poros oblini, diserte docuit Galenus, quapropter post balnea inunctionem *) praecipit. — Cauteria actualia et potentialia multa, sed tamen pauciora habet, Arabibus et Arabistis. Post *Leonidam* vult in asthmate cauterium applicari, quod nostris quidem temporibus laudem meretur. Ceterum paracenteseos methodus, quam in hydrope proponit, haud spernenda videtur: coniungit enim eum cum [70] vinciendis membis- —

Castra-

*) Vt potius debilitantem transpirationem impedirent, quam, vt dicunt, vt ita melius ex amplexibus contendentium elaberentur, veteres Athletae corpus inungebant.

68 Tetrab. IV. Serm. 3. c. 14.

69 *Histoire de la medecin T. p.* 32.

70 Tetrab. III. Serm. 2. cap. 30.

castrationem suadet tanquam remedium vulgare in [71] elephantiasi, quod vero, idem sentiente [72] *Aretaeo*, neque nocere, neque prodesse docet. Ex recentissimis fuerunt, qui similitudine leprae et luis venereae seducti, in hanc operationem eademproponerent, quos vero refellit [73] *Berenotti di Cigliano*. — Aneurysmata et varices fuse tractat, praesertim dum phlebotomiam incautam sequntur. Eandem methodum subligandi proponit, quam et nunc [74] adhibemus. Curam autem omnem respuere, dum ad collum oriuntur, sicut mulieres in partu non raro eadem subeunt. Strumae, quae sub iisdem conditionibus apud parturientes, aut a nisu quocumque violento oriuntur, neque resolutionem, neque exstirpationem admittunt. — Arabes quidem et hic auxilium a chirurgi manu exspectauerunt. Fallitur [75] *Freindius*, qui *Abul-Casem* nunquam permisisse exstirpationem bronchoceles, arbitratur. Fuse idem de hac operatione [76] loquitur; sed tamen in [77] praefatione monet, caueant medici a laesione partium praesertim vasorum adiacentium. — Sterilitatis virilis singularem plane et non negligendam refert caussam. Posse enim in lithotomia, non satis caute facta obtingere laesionem vesicularum seminalium, quae impediatur, si cultro secanti subiicias [78] cannulam. — Artem cosmeticam cum chirurgica arte iungit [79] *Aëtius*:

eo

[71] Tetrab. IV. Term. 1. cap. 122.

[72] De caussis morb. diut. l. II. cap. 13.

[73] *Del vario modo di curare l' infezzione venerea l. II.*

[74] Tetrab. IV. Serm. 3. cap. 10.

[75] l. c. p. 78.

[76] l. c. T. I. p. 226.

[77] pag. 4.

[78] Tetrab. IV. Serm. 4. c. 23

[79] Tetrab. III. Serm. 2. c. 57. 65. et. aliis locis.

eo enim aeuo princeps ducebatur medici officium εὐσχημοσύνην curare, pilos denigrare, euellere, naeuos cutis tollere, qui mos per plura sequentia saecula obtinuit.

AETII SCRIPTA,

Operis principis titulus apud [80] Photium, et in plerisque [81] codicibus est. βιβλίον ἰατρικὸν ἐν λόγοις ιϛ. — In nostris quidem editionibus (excepta ea quae apud Aldum ad librum VIII vsque graece prodiit) diuiditur opus in quaterniones siue τετραβιβλία, quorum singula quatuor constant sermonibus. Haec diuisio fidem auctoris ipsius, *Photii*, et codicum non habet. Cum tamen in vno alteroue codice *Cornarus* eam reperisset, non multo post *Aëtium* eiusmodi scribarum aliquis ita distinxit, qui et *Platonis* dialogos in tetralogias et Plotini dissertationes enneadibus [82] distribuit. *Aëtius* certe ipse suos libros in ordine citat, quo sequuntur, nullo habito respectu ad tetrabiblia.

Primum tetrabiblion continet simplicia medicamenta, ordine alphabetico enumerata, dein docet oleorum praeparationem, purgandi, vomitoriorum et clysmatum methodum generalem. Secundum tractat pathologiam generalem, febrium classes et indolem, deinde cerebri, capitis et neruorum affectus, oculorum, faciei et pectoris morbos. Tertium agit de ventriculi, alui, intestinorum, iecinoris, lienis, renum et vesicae, vteri et genitalium affectibus et rebus veneris, de morbo articulari et ischiatico etc. Quartum denique exponit de morsibus venenatis de elephantiasi et aliis morbis cutaneis, vulneribus

[80] Myriobibl. p. 566. Cod. 221.

[81] Lambec. Bibl. Caesar. Vindobon. VI. 102.

[82] Labbaei bibl. Msptor. p. 123. Catat. codd. Msptor. bibl. reg. Paris. T. II. N. 2191.

neribus et vlceribus, porro de antidotis, recenſet emplaſtrorum et vnguentorum copiam. Praeterea *Aëtio* tribuuntur codices (a me ſtatim laudandi) [82] *de rebus chirurgicis antiballomenis, ponderibus et menſuris*, [83] *Synopſis Oribaſii*, [84] *de ſignificatione ex pulſu*, et [85] *de vrinis*, de quibus vero aliquid certi definire nequeo.

CODICES MANUSCRIPTI.

Magna profecto codicum Manuſcriptorum copia ſupereſt, quos, cum ipſe nonnihil unum alterume, eum praecipue, qui in bibliotheca noſtra*) ſenatoria ſeruatur, viderim, auctorum fide nunc recenſebo. — Exſtant [86] in *bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi Aëtii* opera in IV Tetrabiblia diuiſa. No. XVII et cod. No. XVIII libri a IX ad XVI initio et fine carentes. [87] *Bibliotheca regia Pariſiana*, tot illa codd. Manuſcriptis abundans, ſequentibus eminet huc pertinentibus: *) codd. No. 1847 et 1848. opp. integra. No. 1883. Aëtii Amid. rerum med. libri duodecim, No. 2140. Aëtii rerum med. l. XVI. No. 2195. Aëtii Amid. rer. med. l. XVI. — Vna cum libro ſing. quo de rebus chirurgicis antiballomenis, ponderibus et menſuris agitur.

[83] Montfaucon bibl. Mſptor. p. 318. Cod. XII.

[84] Bandini biblioth Medic. T. N. p. 153.

[85] Id. l. cit.

*) Fuit Codex, olim *Boerhaavianus* tum *Gunzianus* denique *Hebenſtreitianus*, libros a IX ad XVI. complectens, cuius vberiorem deſcriptionem dedit *I. E. Hebenſtreit* in praefatione *Tentamini philolog; medico* praemiſſa.

[86] vid Lambecii biblioth. acromaticam, St. Reimanni. Hanov. 712. p. 471. 72.

[87] Catalogus Codd. Manuſcriptor. bibl. reg. Pariſ. T. II. Pariſ. 1740. Fol.

*) Codd. No. 1847. 1848. et. 2140. Silentio tranſiere auctores Catol. Codd. Manuſcript. bibl. Reg. Pariſ. In illo autem apographo de quo ſupra retuli (vid. nota 15) horum codd. var. lect. in primo Aetii libro obſeruatam, cum editione Aldina contuli, et veram et notatu dignam deprehendi. Quapropter illud ſilentium alia ratione explicare nequeo, niſi iſte numerus, iis temporibus vbi in ordinem redacta eſt Mſptornm collectio, fuerit immutatus.

gitur. No. 2192. Aëtii opp. ll. XVI. No. 2193. Aëtii opp. ll. XVI. No. 2194. inde a libro VI. ad XVI. No. 2195. l. V. — VIII. No. 2196. compl. ll. IX — XII. No. 2197. ll. XIII — XVI. No. 2198. Opera integra No. 2199. ll. a V — XV. No. 2228. Aëtius de febribus et de illarum curandarum ratione. (conſtat ll. duobus Demetr. Pepagomeneni manu exaratus) No. 2847. cont. Aetii fragmentum de Theodori Antidoto. [88] Cod. No. 335. *Bibl. Coisliniane* Synopſis trium librorum Oribaſii etc. Explanatio Aëtii Aſnideni. [89] Cod. No. 36. Bibl. Cardinalis *Radulphi* (quae nunc in regiis aedibus Pariſ. ſeruatur.) quaedam habet Hippocratis et Aëtii. — Sic Bibliotheca olim *Pellicerii* Epiſc. Monſpel; *Colberti* Cod. No. 2145. *Bodleii* cod. No. 749. *Iſaaci Voſſii* No. 2157. integros Aëtii opp. codices mſptos. habuerunt. — Aſſeruantur in Bibl. *Laurentiana Medicea* Codd. Mſpti. Plut. 75. No. 5. a L. IX. ad XV. No. 6. ll. VI — VIII. No. 7. ll. XIII — XVI. No. 8. Aetii (?) tract. de diiudicandis vrinis. No. 10. excerpta med. Aëtii ab ult. cap. l. IX. uſque ad cap. 69. l. XIII. No. 12. Aëtii Am. ſynopſis trium librorum Horibaſii etc. No. 13. ll. a XIV — XVI. No. 18. ll. a IX. — XII. No. 20. Aëtii Amitini ſynopſis trium librorum Horibaſii etc. Adnexa ſunt a) „ eiusdem de diuerſis lapidibus „ et foſſilibus, et utilitate, quae ex animalibus percipitur, ex- „ cerpta e ſimpl. Galeni etc. b) Eiusdem de gymnaſtica ſermo „ tertius c) Eiusdem quartus e libris Galeni de ſanitate tuenda „ d) Eiusdem quintus de febribus dignoſcendis atque curandis „ liber." No. 21. ll. a IX — XVI. In *Bibl. S. Martii Venetiis* ex Bibl. Beſſarionis, codd. No. 1. F ll. VII. priores, No. 2. B. opera integra. No. 18. Aëtius de ſimplicibus — In *Biblioth. Scoria-*

[88] Manuſcriptorum, quae in bibliotheca Coisliniana ſeruantur accuratam dedit deſcriptionem D B. Montfaucon Pariſ. 1715. p. 448.

[89] De Sequentibus videatur, qui fuſius de iis egit I. B. Montfaucon biblioth. Manuſcriptor. noua. in Pariſ. 1739. Fol.

Scorialensi cod. 1847. Aëtii Tetrab. IV. incompleta codd. 1848. 2140. 2141. 2688. Aëtii Amid. Opp. l. XVI. — Hi fere sunt, qui mihi innotuere; codices Manuscripti graeci. Parisinos quod attinet, retinere meam suspicionem nix possum, quin credum quandam ordinatorum codicum confusionem subesse eapropter, quoniam numeri Montfauconi et illius Parisini catalogi non exacte sibi respondent.

EDITIONES.

Huic Manuscriptorum codicum multitudini non respondet editionum utilium typis impressarum paucitas. Princeps operum *Aëtii* editio eaque incompleta hoc titulo prodiit: Aëtii Antiocheni de cognosc. et cur. morbis sermones VI. (lib. VIII — XIII.) Interpr. *Cornaro* acc. eodem interpr. de ponderibus et mensur. l. ex P. Aegineta Bas. 1533. In praefamine operi praemisso *Aëtium* medicum cum Haeresiarcha confundit, atque ita de vita eius paucis exponit. Multa etiam in hac editione occurrunt, quae melius possint transferri, [90] ut ipse confessus est. — Excipit hanc vnica, quam ad hunc usque diem habemus graeca editio: Αετίου Αμηδίνου βιβλίον ἰατρικὸν. Τόμος Α τοῦτ' ἐςὶ βιβλία ἕκτω τὰ πρῶτα. Venet. ap. Asulan. et Aldum [91] 1534. fol. — Anno sequenti *Io. Montanus* casu codicem Graecum Romae nactus, in quo, quos Cornarus prius verterat, libri sex, desiderabantur; versis libris decem, suum opus edidit Bas. 1534. fol. et apud Aldum 1553. 8. (sec. Haller. Bibl. pr. T. I. p. 389.) In praefatione argumenta praeclara contra Aetii antiquiorem aetatem a Cornaro defensam

90 In Galen. de medicam. Κατὰ τόπους. apud Fabric. l. c. p. 321.

91 A Renato *Moreau* editionem completam exspectabat. Herm. Conringius Introd. in art. med. p. 96.

ſam profert. — Utriusque viri labores iuncti hunc in fronte titulum gerunt: Aetii Amideni, quem et alii Antiochenum vocant, med. cl. ll. XVI. in III. Tomos diuiſi, quorum I. et III. a *I. Montano* III. a *I. Cornario* latinit. donati ſunt c. indic. copioſ. Baſ. ap. Froben. 1535. fol. Recuſa editio Baſ. 1536. fol. (teſte Hallero l. c.) — Paullo poſt inſignis Cornari diligentia, ea quae vitiis adhuc erant contaminata, quaternionibus diſtinxit opera Aetii, limatiusque edidit, ſimulque crimina ab Oroſcio ſibi facta diluit. Baſil. 1542. recuſ. Venet. in offic. Farren. 1543. Baſil. 1549. [teſte Haller. l. c.] Lugduni 1500. 12. In Stephani collectione 1567. fol. Denique in Halleri medicae artis principibus. Lauſ. 1769. 8. [92] — Aliqua de febribus ex Aetio prodire in collect. Veneta 1533. fol. alia de balneis ibidem 1530. fol. — Caput XXV. Serm. I. Tetrab. III. edidit Graece *I. C. Hornius* Lipſ. 1654. — Cap. XXVIII. libri IX. exhibens morbum tenuioris inteſtini, *I. E. Hebenſtreit* Lipſ. 1754. 4.

COMMENTARII ET EMENDATIONES.

Cum *J. Brodaei* Notae in ſex priores Aetii libros ex *Colomeſii* [93] relatione, in *Iſ. Voſſii* bibliotheca aſſeruata, nunquam in publicum prodierint, praeter *Chriſtoph. Oroſcium* [de Horoſzco] qui annotationes ſuas in interpretes Aëtii, Montanum et Cornarum Baſ. 1540. 4. curauit, et *Hugonem Solerium*, qui ſcholia [94] in duos priores Aetii libros edidit, nullus, vt mihi quidem videtur, inueniatur, qui Aetii emendandi explican-

[92] Ferunt Aetium et a Pontico Virunnio latine verſum eſſe vid. Giorn. de litt. T. XXIV p. 277.

[93] G. eius opera ex edit. Fabricii, in recenſione Mſptorum codd. IS. Voſſii p. 873.

[94] Prodierunt Venet. 1549. 8. et adiecta editionibus Cornari Lugdunenſibus.

plicandique cauſſa monographum compoſuerit. Verum, qui aliud agentes, ſimul in Aetio emendando et illuſtrando allaborarunt, non pauci ſunt, quorum praecipuos nominare placet. *Cael. Rhodighinus* in lectionibus antiquis Baſil. 1542. fol. *Andr. Lacunae* ep. apologetica ad Cornarum (qua plures eius in interpretatione admiſſas hallucinationes exagitat) Lugdun. 1455. 8. *Donat. ab Altomari* in arte medica Lugd. 1563. 8. *Hieron. Mercurialis* paſſim in variis lectionibus Venet. 1598 *Adr. Turnebus* in adverſariis Baſil. 1581. fol. *Caſp. Hoffmannus* in variis lectionibus. Lipſ. 1619. 4. *Caſp. Barthius* in aduerſariis. Francof. 1624. fol. *Zacutus Luſitanus* in operibus Lugd. 1649. *Io. Rhodius* in notis ad Scribonium Largum, ed. Patau. 1655. 4. Et, οἱ ἔσχατοι πρῶτοι, *Th. Reineſius* tum in variis lectionibus, Altenb. 1640. 4. tum in epiſtolis ad Daunium datis, Ien. 1670. 4. denique *Dan. Guil. Triller* in obſeruatt. criticis, Francof. 1742. impreſſis.

T A N T V M.

THESES.

Summus ſcepticus, ſummus medicus

Vas portarum resorbet.

Motus retrogradus fluidorum in vasis lymphaticis locum habere poteſt in ſtatu morboſo.

Vomitoria abortum ſaepius auertunt quam mouent.

Morbi mentis fere ſemper ex corpore ortum ducunt

Luxus generi humano ſemper perniciosus

Nemo Poëtarum maior Homero.